

vera esse nullo modo potest, cum non possit omnium, quæ in motibus cælestibus apparent, reddere rationem. Nam si orbes inferiores non haberent peculiare motus ab occidente in orientem, sed solum propter illam quasi repredationem, seu retardationem moveri ab occasu in ortum existimarentur, defectio illa inferiorum orbium per eandem lineam fieret, & circa eosdem polos, puta per circulum æquinoctialem, & circa polos mundi, cum motus diurnus recta secundum æquinoctialem circulum, & super mundi polos ab oriente in occidentem tendat. Ex quo effici deberet, ut omnes stelle, & planete motu diurno eosdẽ semper circulos parallelos citra, & ultra æquinoctialem continue describerent; stelle autem, & planeta sub æquinoctiali existentes, nunquam ab eo declinarent, sed perpetuo sub illo existerent; Et quæ sunt citra, vel ultra æquinoctialem, nunquam magis vel minus accederent, vel recederent ab ipso: Quare neque Sol, neque Luna, sicut nec ulla alia stella tam fixa, quam erratica, propius ad nostri capitis verticem appropinquaret, vel magis ab eo recederet uno tempore, quam alio, quæ omnia apertissime cum sensu, & experientia pugnant. Videmus enim Solem (ut interim alios planetas, ac stellas silentio inuoluam) ipsi æquinoctiali circulo varios parallelos circulos describere, ut in 3 cap. explicabit auctor, & non semper eandem distantiam ad æquinoctialem circulum obseruare, cum bis in anno sub ipso reperitur, & modo ad austrum, modo ad septentrionem ab eodem deflectat. Vnde fit ut in diuersis punctis Horizontis per anni circulum oriri, & occidere conspiciatur. Hinc etiam efficitur, ut in estate existens in principio Cancræ valde ad nostrum Zenith, seu punctum verticalem accedat; In hyeme vero decurrens in principio Capricorni ab eodem maxime recedat. Et sane mirum est, si omnes cæli moueantur tantum ab oriente in occidentem; & inferiores, quia tardius mouentur, repedent quodammodo, seu retardentur, ut ipsi autumant; quod nulla proportio in hac retardatione cernatur; Octaua enim sphaera absoluit suum circuitum in 3600 annorum; Saturnus in 30 annis; Iuppiter in 12; Mars in 2; Sol in uno anno; Venus, ac Mercurius eodem fere tempore; Luna denique in 27 diebus, & 8 horis. Vbi manifeste vides, nullam certam proportionem inueniri. Non ergo credibile est, planetas carere proprijs motibus ab occidente in orientem, & solum propter illam retardationem videri nobis moveri ab occidente in orientem. Quare ad primam rationem Alpetragij, & Achilli-